dæorum mendicitas me rito nominari poſſint viliſſimæ, abjectiſſimæque quas factitant, artes, & ab antiquo dudum tempore facti tarunt; utpote,

a Mart. lib. 1 epigr. 42. lib. 12. epigr. 56

a Qui pallentia ſulphurata fractis
Permutant vitreis;

b Juven. Satyr. 3. & 6

Et,

—— b Quorum cophinus, fœnumque ſupellex.

c verſ. 7
d tom. 1 annal. pag. 687

Quod pſalmo 80. *c* vidimus ad ea verba, *manus ejus in cophino ſervierunt*. Baronius *d* hoc pertinere contendit ad mendicitatem, & *fœno* deſignari tormentum, ſeu ſtratum pauperiorum ad recumbendum compoſitum; *cophino* vas vimineum, ciſtamve, & caniſtrum quo uterentur mendicando. Confirmat ex Juvenale.

Satyr. 3
f idem Satyr. 6

—— e Ejectis mendicat ſylva camenis
f Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem.

g li. 12. epig. 57

Præterea ex Martiale *g*.

A matre doctus nec mendicare Judæus
Nec ſulphuratæ lippus inſtitor mercis.

Quid rogare proprie, & rogator.
h libr. 10 epigr. 5

Atqui & codicum fides, & metri ratio exigitur, *rogare*, legatur, non *mendicare*. Eſt quidem *rogare* petere mendicando, & ſtipem corrogando; *rogatorque* idem qui mendicus *h*, ſicut *erogator* qui rogatoribus illis effundit. Sed probabile eſt eumdem dicto loco Martiali eſſe *negantem Judæum*, & *ſulphuratæ inſtitorem mercis*; quam rogando, ideſt, per plateas, ut nunc Romæ, vociferando, & percontando quæ velit, venderet Judæus. Nam ut dixi nefas putant Judæi mendicare. Martialem de Judæorum mendicitate Raderus noſter, & Laurentius Ramirez declarant,

Judæi nefas exiſtimant mendicare.
i lib. 24. c. 43
In vituperationem paupertatis quædam congeſta.

Verum quod dixi, mihi probabilius; nec video cur Ramirez Turnebum *i* refellat, aſſerentem ſulphurata vendi ſolita à Judæis. Congerit hic Bochius in vituperationem paupertatis ex profanis nonnulla, quod cognominent ſævam, infelicem, malam, perditam, ſeu peſtiferam, animi corruptricem, horridam, malorum extremum, morbum gravem, magnúmque, duram, probroſam, formidoloſam, adde dici, importunam, turpem, ſordidam, immundam, incultam, aſperam, atram, humilem, vilem, malignam, invidam: præterea quod omnis vitet amicus amicum pauperem, & cognationis cum illo nomen: quod eam omni ſtudio homines diffugiant: adhæc quod illa deterior ſit mendicitas. Quid interſit inter πένητα καὶ πτωχὸν *pauperem*, *& mendicum*, alibi docuimus ex Martiali *k*, qui videtur imitatus Ariſtophanem *l*.

k l. 11. epigr. 33
l in Pluto.

πτωχοῦ μὲν γὰρ βίος, ὃν σὺ λέγεις, ζῆν ἐςὶ μηδὲν ἔχοντα,
τοῦ δὲ πένητος, ζῆν φειδόμενον, καὶ τοῖς ἔργοις προσέχοντα.
Mendici enim vita, quam ais, vivere eſt nihil habentem,
Pauperis vero vivere parcentem, & operi inhærentem.

Quantum ſ[?]onis habere quis debuerit olim ut pauper non haberetur.
m Plautus in captivis.

Olim florente imperio ſuo Trajano pauperem leges deſiniebant, qui minus libra auri, hoc eſt, aureis minus haberet quinquaginta. Hebræi quoque cui tot ſint in cenſu aurei, mendicationem feruntur inhibere.

m Miſer homo eſt, qui ipſe ſibi quod edat quærit, & id ægre invenit:
Sed ille miſerior, qui & ægre quærit, & nihil invenit:
Ille miſerrimus, qui cum etiam eſſe (edere) *cupit, quid edat non habet.*

Cogunt Judæi malis artibus præſertim ex Chriſtianis pecuniam: ſed malè partis non tam diteſcunt quam ſuæ mendicitates etiam in cultu, victu, vitæ ratione ſigna dant: & quod coactè mendicantium familiare eſt, ſqualore, ac fœtore infames ſunt, ab Ammiano *n fœtentes* cognominati, quum Marcum Imperatorem ſcribit horum fœtentium, & tumultuantium ſæpè tædio percitum, dolenter exclamaſſe, ò Marcomani, ò Quadi, ò Sarmatæ, tandem alios vobis deteriores inveni. Fœtorem nativum Judæis per baptiſmum abſterſum cecinit Fortunatus *o*.

n lib. 22. Lege etiam Philelphum in epiſtolis volum. 2. lib. 2
o lib. 5. car.

Abluitur Judæus odor baptiſmate divo.

p lib. 7. c. 32. & Baron. to. 12. pag. 319.
q to. 12. pag. 165. ex Balſamo in Nomoca. Photis tit. 13 cap. 2

Idem de baptiſmo quorumdam in confinio Armeniæ narrat Otho Friſingenſis *p*, & de Baptiſmo Agarenorum Baronius *q*: hodieque audio id experimento comprobari. Longè pejor, ac periculoſior ſpiritualis mendicitas, & inopia omnium ſpiritualium bonorum, quam ſtupidi non percipiunt. De hac creditus Hieronymus.

Et ejiciantur de habitationibus ſuis. Hieron. *& quærantur in parietinis ſuis*. Quod explicat Treverus, ut prius retuli, de ſeptem ex familia Saulis, quos Gabaonitæ poſtulaverunt ad mortem *r*. Alii ſupp'etis nonnullis, *quærantque victum de ſuis deſertis prodeuntes*, vel *de deſolatis*, A ſeu *vaſtatis ſuis locis*, *de domibus vacuis ſuis*, *de ruinis*, *maceriis*, *deſtructionibus*, *vaſtationibus ſuis*. Paraphraſtes ut etiam antea dixi, *& inquirant quæ fuerit deſolatio eorum*. Hebr. ודרשו מחרבותיהם *vedaroſciu mechorbothehem*. Faber conciliat translationem Hieronymi cum noſtra, ut noſtra poſuerit conſequens, Hieronymus antecedens, ut nempè quærerentur in parietinis, ad hoc ut ejicerentur. Approbat Richardus Cænomanus, nec non ſi verbum Hebræum activè ſumatur, ut *quærant* ſeu *inquirant* hi ad quos pertinet, tales ejicere. Genebrardus exponit, legendo etiam, *quærant*, ut quærant panem è domibus ſuis redactis in vaſtitatem, extremamque inopiam, velut quærerent victum, poſtquam illæ fuerint in ſolitudinem redactæ. Bellarminus opinatur lectum à LXX. נרשו *pareſciu*. Voluit dicere גרשו *goreſciu*, in qua voce paſſiva, ſicut Hieronymum paſſivè interpretantem oportet legiſſe דרשו *doreſciu*. Placet magis mihi opinio Richardi, & Fabri, non admittens verbi mutationem, ut aliud legerit Hieronymus, aliud LXX. Pro *habitationibus*, *parietinas* legit non tantum Hieron. hoc loco, ſed in pſalmo quoque 101. *ſ* Vetus Pſalterium, Auguſtinus, Proſper, ubi nos, *ſicut nicticorax in domicilio*, B & idem Hieronymus reddit *ſolitudines*, quoniam ibi eſt idem nomen plurale חרבות *choravoth* & Græcum, ſed in ſingulari numero, οἰκόπεδον, quod hic pluraliter οἰκόπεδα. Relege dicti pſalmi commentarium. Sicut eo loco, ita hic Theodoretus, Euthymius, Nicephorus notant ἐρείπια legi ab aliis. Apollinarius tamen explicat *ejicè ex limine caro*: οὐδὸς φίλου. Deniq; deſcribitur ærumnoſum exilium.

ſ verſ. 7

Verſ. 11.) Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam ejus: & diripiant alieni labores ejus.

Senſus loci.

PAupertatis extremæ, ac mendicitatis ratio præter allatas eſt, quoniam creditores perſcrutati ſunt omnia diligentiſſimè, ut undecumque etiam ex ſubſtantia ipſa, ſive ex eo quod ſibi proprio labore pepererint ad ſuſtentandam vitam, per vim quoque rapiant, quibus ſibi ſatisfaciant, ſive ob vera, & liquida, ſive ob confe- C cta, palliataque debita. Vel extendendo *fœneratoris* vocabulum ad quemvis durum ac ſævum exactorem, innui poſſunt milites Titi, qui etiam intra viſcera Judæorum, quos ea de cauſſa diſſecabant, aurum perſcrutati ſunt, ut Joſephus *t* teſtatur, memorans una nocte duorum millium patefacta viſcera; quamvis rem Tito indigniſſimè ferente. Sed Deus, ait ille, qui damnaverat populum, omnem viam ſalutis ad interitum verterat. Poſteà plurimis Gentilium Imperatorum vexati ſunt edictis: licèt autem à Chriſtianis mitiùs tractati, tamen pendunt illis ubique tributum, & in ordinem rediguntur. Utinam lucri ſpe, quod illi ex injuſto fœnore, quo ſuccum, & ſanguinem noſtrum exſugunt, non nimis conniveant, qui Chriſtianæ Reipublicæ gubernacula moderantur. Colloquio uno integro diſputat Simon Majolus *u* de perfidia Judæorum, hoc inter alia prudenter monens & fraudes circa fœnus, uſuramq; detegens lectu profecto dignas. De Judæ proditoris ſubſtantia, & laboribus, ſi placeat intelligere, Auguſt. notat, illum quando ſe Chriſti profitebatur diſcipulum, non ſynceriter, vel perſe- D verante vinculum cupiditatis abripuiſſe: & ſi facultates ſuas velut vendere viſus eſt diſtribuendas pauperibus, feciſſe ut poſt Domini aſcenſionem fecit Ananias *x*, nec metuiſſe, ne hoc Dominus divinitate cognoſceret; ſed falli putaviſſe, quando ea, quæ mittebantur, de loculis auferebat. *y* Treverus impletum hoc aſſerit non in Saule, qui non ſubjacebat exatoribus (legit enim nomen *exactoris* cum Hier.) ſed in poſteris ejus: & quoniam extirpata ſtirpe illius per Gabaonitas, ad exactores, extraneoſque pervenerunt bona ipſius. Arnobii allegoria eſt, Dominum noſtrum ab ipſa poteſtate diaboli exigere uſuras verbi prudentiæ, quibus illa male uſa eſt, & oſtendere injuſtè docuiſſe; injuſtè ſcripſiſſe, injuſtè fabricaſſe. Hugo myſticè quoque *fœneratorem* diabolum vocat, qui peccatum dat ad uſuram: vel Dominum, qui talentum ſuum *z*, hunc diſtrictè quod commiſit, requiſiturum: illum acerbiſſimè punitorum, qui interim in ipſiſmet bonis operibus, an aliquod reperiat peccatum, ſcrutatur, ſicut Laban idola quærendo, ſuppellectilem Jacob ſcrutatus eſt. *a* (Ille tibi, ait Ambroſius, *b* cavendus fœnerator, qui ſubſtantiam animæ tuæ ſcrutatur,

t cap. de bello Jud. c. 15
u to. 3. dierum canicul. colloq. 1.
x Actuum 5. 1. 2
y Joan. 15. 29
Allegoria.
Senſus Myſticus.
z Matth. 25 28. Luc. 19. 27
a Gen. 31. 34
b 2. de Jacob cap. 5

tur, ſi qua peccati gravioris æra contraxeris, qui cor tuum includit ſolo, qui animam tuam eo ceſpite obruit, quo aurum texeris; qui mentem tuam centeſimarum incurvat uſuris, & gravi condit ſepulchro, de quo nullus reſurgit. Perſequitur egregiam de Laban ſcrutante, nihilque in *Jacob*, ideſt, in juſto præſertim Chriſto, ſuum repetiente, allegoriam, ludens in Etymo, quo *Laban*, dealbatum denotat, ideſt, *Satanam transfigurantem ſe in Angelum lucis* a Greveus *b* tractat eamdem ſimilitudinem diaboli cum fœneratore, qui primum auferat exteriorem ſubſtantiam exteriorum bonorum operum, ut miſſam audiendi, dandi eleemoſynam, &c. deinde quoque interiorem, corrumpendo intentionem, ſanctaſque meditationes, & affectiones excludendo. Monet propterea cum Chriſto, ut *in cœlo theſaurizemus* c, & ut cum David, *in petra exaltetur cor* d, & *ſubſtantia noſtra apud Deum ſit* e, & curemus nobis *divitias ſalutis*, *fidem*, *ſapientiam*, *ſcientiam*; *ſitque theſaurus noſter timor Domini*: * ut ſtudeamus *divites fieri in operibus bonis*, *atque theſaurizare fundamentum bonum in futurum*, *in vitam æternam* f. Quo videlicet penetrare fœnerator ad ſcrutandum nequit; *& ubi fures non effodiunt*, *nec furantur*. g

Allegoria.
a 2. Cor. 11 14
b ſerm. 233
c Matth. 6 20
d pſalm. 26 6
Pſalm. 50. 3
e pſalm. 38 8
* Eſa. 33. 6
f 1 Tim. 6 18. 19
g Mat. 6. 20

Scrutetur fœnerator.) Hieron., *ſcrutetur exactor*. Alii, *mutuator*. Et utuntur *illaqueandi* verbo, quaſi, ut Cajetanus obſervat, injiciat creditor laqueos univerſis bonis debitoris, tamquam ſibi obligatis, & nexis, ac ut dici etiam ſolet, vinculatis, obſtrictiſque. Quidam præterea *perdere* interpretantur. Nempe qui ſcrutatur, eo facit animo, inquit Cænomanus, ut laqueis ſuis involvat, & perdat; ideſt, ut ſibi conſulens, alterius perditionem, atque detrimentum non curet. Suſpicatur etiam pro ינקש *lenakkhes* lectum olim fuiſſe יבקש *ieuakkes*. Nam hoc ſignificat *quærere*, *& ſcrutari*, illud *illaqueare*, *& perdere*. Aſſeverat hoc Bellarminus, nec abnuo. Quamvis ſenſus, quem efficit verbum ינקש *ienaKkes*, commodus ſit: fierique etiam poſſit, ut non aliud ediderit David pſalmi ſcriptor. Pagninus ait Thargum, ſive Paraphraſtem expoſuiſſe ינגב *iogannev furetur*. Sed in textu extat ינבב *iegabbeu*, *colliget*. Et Nebienſis pro *fœneratore fiſcum* reddit, מוזפא *mozepha*. Favet nomen *colligationum impietatis* apud Eſaiam *h*, pro contractibus uſurariis, nec non *faſciculorum deprimentium*, quæ ſunt ſchedæ, ac ſyngraphæ debitorum, & inſtrumenta publica. Poſtremo נושה *noſceh* ſignificat *fœnerantem*, *mutuantem*, *mutuo*, *& fœnori dantem*, *exigentem*, vel *eum*, *qui accipit*, *prout conſtructio requirit orationis*. Non obſervat *fœnerator* hic, *exactor*, *creditor*, *mutuator* (confunduntur enim iſti, licet *fœnerator* proprie uſurarium indicet) Domini præceptum in Deuteronomio *i*, *Quum repetes à proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas; ſed ſtabis foris, & ille tibi proferet quod habuerit: ſin autem pauper eſt, non pernoctabit apud te pignus; ſed ſtatim reddes ei ante Solis occaſum, ut dormiens in veſtimento ſuo, benedicat tibi & habeas juſtitiam coram Domino Deo tuo*. Similia ſunt in Exodo *K*. Reprehendit etiam Deus apud Eſaiam *l* illos, *qui in die jejunii ſui debitores ſuos repetunt*. Hebraicè, *labores ſuos exigunt*, *& adigunt reddere quæ labore pepererint*. Multo magis reprehenderet, qui alterius generis res, ac minus caras, ſed neceſſarias. Licurgus publicanum exactorem ultra quam oportebat, importunum, injurioſumque, in carcere conjici juſſit, quod in Xenocratem Philoſophum tributi non ſoluti nomine, manum injeciſſet, & in carcerem traheret *m*, quamvis alioquin id fieri per ſe poſſit duodecim tabularum *n*, & jure communi, quod & in Evangelio *o* approbatum videtur: & Sapientis *p* ſententia, qua dicit; *qui fœnus accipit, ſervum eſſe fœneranti*: & exemplo viduæ, quæ narravit *venisse creditorem*, *ut tolleret*, *& venderet filios ejus* q. Qua ipſa in re ſatis municipalibus juribus variatum, pro varia quoque ratione debitorum, quod non exequi non poteſt. Lege Petrum Gregorium *r*. Lex Julia æquiſſima, quæ punit rem debitoris ſine auctoritate Judicis occupantem, tertiæ partis bonorum mulcta, & infamia *ſ*. Inter ea, quæ Deus requirit in eo, qui cenſeatur juſtus, unum eſt, *pignus debitori reddere*, *& per vim nihil rapere* t. Venit Chriſtus, ut nos ex ſpiritualibus præſertim *uſuris*, *& iniquitate liberaret* u, utque *ceſſare faceret exactorem* x, ut oſtendimus pſalmo 71. Nos quidem *vincti*, niſi jam per nos ſtet, *non audiemus vocem exactoris* y, neque *clamorem militis* z *poſuit*, namque *viſitationem noſtram Deus pacem* a, ideſt, vi-

h cap. 58. 6
Fœneratoris notio.
i cap. 24. 10 11. 12. 13
k cap. 22. 26
Fœneratores reprehenſi, & leges in eos latæ.
l cap. 58. 3
m Plut. in vita decem Orat.
n Gell. lib. 20. cap. 1.
o Mat 18 34
p Prov. 22. 7
q 4 Reg. 4. 1
r ſyntagm. lib. 22. cap. 6
Lege Julia prohibetur rem debitoris ſine Judicis authoritate occupari.
ſ lib. 1. §. ne quis autem, devi & l. ſi quis ad l. Juliam,
t Ezech. 18. 7
u pſal. 71. 14
x Eſa. 14. 4
y Job. 39. 7
z cap. 39. 7
a Eſa. 60. 17

A ſitatores, exactoreſque pacificos. Odioſum, & per moleſtum hominum genus, fœnus, ac debitum dure exigentium. Talis Druſo Horatianus,

b Horat. lib. 1. Satyr. 3

b Odiſti, & fugis, ut Druſonem, debitor æris
Qui niſi, cum triſtes miſero venere Kalendæ,
Mercedem, aut nummos unde unde extricat: amaras
Porrecto jugulo hiſtorias, captivus ut audit.

Sed & Cato major quum reſpondiſſet maximè in re familiari expedire bis bene paſcere, tertio bene veſtire: & ille, qui quæſierat, dixiſſet, Quid fœnerari? rogando reſpondet, Quid hominem occidere *c*? Plura in uſuram alibi diximus: & legi adhuc Petrus Gregorius *d* poteſt. Lepide Plautus *e* in ſenem uſurarium,

c Cic. 2. offic.
d 12. ſyntag cap. 3
e in Trinum ſca. 2

Turpi lucri cupidum te vocant cives tui:
Tum autem ſunt alii, qui volturium te vocant,
Hoſteſne, an cives comedis parvipendere.

Marſyæ excoriati ſtatua à fœnore deterrebantur Romani,
f Horat. lib. 1. Satyr. 16
Martiali, epigr. 64
Plin. lib. 35 cap. 10. & alii.
g Sidonius carm. 23
h Laert. lib. 1. Plutarch. in Solone.
i Ælian. 14 varia hiſtor. cap. 24

Abſterrebantur à fœnore Romani Marſyæ excoriati conſtituta in foro, ſeu roſtris ſtatua, quæ ſignificabat, qui in fœneratorum inciderent manus, vivos excoriari *ſ*, & 13 ſuſpendio fœneratores, ut & improbos litigatores dignos eſſe, quod minabatur funem manu geſtans *g*. Prima Solonis lex σεισαχθείας, qua excuſſo debiti onere Athenienſes levavit, qui eum ſibi legiſlatorem iſta de cauſſa conſtituerant *h*. Theocles, & Thraſonides Corinthi, Praxis Mitylenæ debita ſua remiſerunt, & aliis, ut idem facerent erga extrema laborantes inopia, ſuaſores fuerunt. Alii, quum recuſaſſent, à debitoribus occiſi ſunt: illi lucrati ſunt non quidem argentum, ſed animam, atque vitam *i*.

Omnes ſubſtantiam ejus) Hieronymus, *univerſa*, *quæ habet*. Ad verbum, *univerſa*, *quæ illi* לכל אשר לו *lechol aſcer lo*, πάντα ὅσα ὑπάρχει αὐτῷ. *Subſtantiæ* vocabulo, delectatur Interpres, quæ ſæpius aliis linguis dicuntur jam dicto modo, vel Græca etiam per τὰ ὄντα *K*, vel per τὴν οὐσίαν, *l* vel τὴν ὕπαρξιν: * quæ aliter vocantur τὰ ὑπάρχοντα. *Subſtantiam* in iſta notione uſurpant Juriſconſulti *m* Addunt aliqui *n ſubſtantiæ facultatem*, aut *facultates*. Innuitur nomine *ſubſtantiæ*, quod facultates hominem veluti ſuſtentent, ac roborent. Propterea C ſubſtantia הון *hon*, ὕπαρξις divitis appellatur à Sapiente *urbs roboris ejus*, *& quaſi murus validus circumdans eum* o, *& pauper* dicitur *eſſe exhauſtus*, *exinanitus*, *evacuatus* p. Hoc alibi notavi *q*. *Rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſcipiunt cognoſcentes ſe habere meliorem, & manentem ſubſtantiam* r.

k Job. 1. 10
l Luc. 15. 12 13
* Act. 2. 45
m D. de probation. l. quo teſtamentum, & Dial. ſuſpectu tutel. l. tutor. & 9. ut bonorum rapt. lib. 1
n Firmicus lib 4. cap 13 lib. 5 cap. 1
o Prov 18. 11
p Eccleſiaſtici 13. 6 Philip. 1. 7
q Act. 2 45
r Hebr. 10 34

Et diripiant alieni labores ejus.) Augent calamitatem direptio violenta quod ab alienis fiat, quod ſit earum rerum, quæ labore conſtiterint. *Laboris* in hac acceptione vox prioribus præceſſit in pſalmis *ſ*, & in 127. *t* atque in Geneſi, c 31. *u* appellantur *labores manuum*; eſtque frequens in Eccleſiaſtæ libro, atque in aliis, in quibus eſt יגיע *ieghiahb*, *&* πόνος. Unde *&* πένης, ut alias docui, qui τῷ πόνῳ *pauper*, *qui proprio vivit labore*, *ac ſibi procurat victum*, *&* πένεσθαι eſt *quidpiam ſtudioſe facere*, *ac parare*. Sed in in prophanis Auctoribus non facile reperio *laborem*, *&* πόνοι pro re cum labore facta, vel parta, videturque potius idiotiſmus Hebræus. Exageratio porro illa calamitatis, ut *alieni diripiant labores alterius*, ponitur in Eccleſiaſtæ *x* citato libro. Ibi egimus de hac ipſa D re, & pſalmo 38, *y* ubi canitur, vel deploratur infœlix conditio theſaurizantis, ſed ignorantis cui congreget; quod Chriſtus cum exprobratione ſtulto dixit *z*, *& quæ paraſti cujus erunt?* Magis deploranda calamitas, quum *comedunt alieni robur tuum*, *neſciente*, *& ignorante* a, *cum das alienis honorem tuum*, *annos tuos crudeli*, *& implentur extranei viribus tuis*, *& labores tui ſunt in domo aliena* b, ideſt, cum ex fornicatione reportas jacturam honoris, diminutionem ſpatii vitæ, corporis virium imbecillitatem, damnum facultatum magno labore comparatarum. Lege Gregorium *c*. Qui dicitur Hieronymus hunc locum noſtrum refert ad dæmones, à quibus Judas, Judæique direpti ſint.

ſ Pſ. 74. 46 51. pſal. 104 26. 44
t verſ. 2
u verſ. 42
x cap. 2. 19 21. cap. 9. 2
y verſ. 7
z Luc. 12. 20
a Oſeæ 7. 9
b Prov. 5. 10
c 3. p. Paſtor. admon. 13

Verſ. 12.) Non ſit illi adjutor, nec ſit qui miſereatur pupillis ejus.

Senſus loci.

NEc Judas proditor, denariis relatis, & iniquam proditionem faſſus quidquam retulit à Principibus Sacerdotum auxilii, conſilii, conſolationis, commiſſe ationis; ſed illum unum d, *Quid ad nos? tu videris*: unde

d Matt. 27. 4

F &de

& deſperans *laqueo ſe ſuſpendit* a, nec Judæi alii, quos adverſus Romanos nullus fuit, qui juvare auderet; atque quantumvis Titus benignus Princeps miſericordia tangeretur, militum rabiem in eoſdem ſævientiū cohibere non potuit. Agrippa Rex gente Judæus, Judæis relictis, junxit ſe Romanis. Premit Judæos vehementer nomine notatus Hieronymi: (Reſpondete mihi, inquit, ò Judæi, fuiſtis in Babylonia, habuiſtis ibi Prophetas, Daniel, Ezechiel; & revera idololatriæ eratis: Septuaginta annis fuiſtis in captivitate, & poſtea veniſtis in propria. Ecce nunc quadringenti anni ſunt, (verus Hieron. anno 420. mortuus creditur) quare non eſt miſſus ad vos Propheta? In illo tempore idola colebatis, & miſerebatur veſtri Deus. Nunc autem non colitis idola, quare dereliquit vos Dominus? Ecce quadraginta (quadringenti legendum videtur, ut habent alii codices ante editionem Romanam Victorii) anni ſunt. Sed tunc dereliquiſtis Dominum, & idola colebatis: tunc autem Dominum crucifixiſtis, & interfeciſtis: & ideo non erit vobis adjutor.) Sic ille. Nulla gens nationeve non execratur Judæos, arbitranturque cuncti quodam modo piaculum contrahere, ſi quod cum ipſis commercium, uſumve habeant. Demonſtravi hoc exemplis nonnullis in commentario Actuum Apoſtolorum, nec eſt difficile plura eſt hiſtoriis colligere, & ex tomis annalium Baronii, & ex colloquio Maioli de perfidia Judæorum, cujus nuper memini, & ex iis, qui proprie ſcribunt contra illos. Prolixus admodum recitari catalogus poſſet blaſphemiarum, calumniarum, maledictionum, quibus Chriſtum, & Chriſtianam onerantes Religionem, ut ſeditiones, venefica, cædes taceam, nominatim puerorum, quos crucifixerunt, provocat omnium hominum, non ſolum Chriſtianorum juſtiſſimam indignationem, digniſſimoſque ſe reddunt, quos ex omni ſua ditione Chriſtiani pellant, immo nec vivere patiantur. Nominant b Salvatorem noſtrum *Jeſchait Nozere*, ſeductorem populi: *tholin*, ſuſpenſum: *Mamſerben hanido*, ex inceſto adulterio natum: Mariam Deiparam, *thlua*, lictricem, ſeu ſpeculatricem: *ſciono*, meretricem, *thomoa*, in omni ſorde, atque impudicitia viventem: Euchariſtiam, *lechemthome*, panem immundum: Sacerdotes noſtros *galleiim*, raſos calvariam: Clericos, *chelavim*, canes: templum, *moſcoph*, & *bas Kiſſe*, latrinam: Apoſtolos, ac diſcipulos Chriſti, *talicemidem*, exterminatores. Præterea ſic execrantur nos quotidie ter, ſtantes, & ſingulari ſpecie ſuperſtitioſis, *Baptizatis nulla ſpes eſt, & infideles omnes celeriter peribunt, & omnes inimici populi tui Iſrael, ò Deus, opprimentur, & exterminabatur: fiat id quidem cito.* Hac etiam exſecratoria formula uti dicuntur, quæ nonnihil ſimilis eſt ei, quam ex pſalmo noſtro adverſus illos edito explanamus, *Domine, impios ipſis præfice: gladius hoſtis, & adverſarius ab eorum latere numquam recedat, rem coram Judice agentes, cauſſa excidant: preces eorum in maledictionem convertantur: dies illorum pauci ſint, & ærumnoſi: regnum ipſorum occupet. & poſſideat hoſtis: vagi, & errabundi: liberi illorum ſibi domicilia quærant: ſpolientur opibus: hæreditatem ipſorum invadant, & diripiant peregrini: ab omnibus ſint derelicti: nullius miſericordiæ aliquo affectu tangantur: denique ut ros calore Solis liqueſcit, & diffluit, ſic nomen eorundem aboleatur, & deleatur.* Trevetus litteraliter declarat de poſteris Saulis, quibus miſerari David volebat, ſed oraculo divino juſſus eſt Gabaonitis concedere, depoſcentibus eos ad mortem. Transfert hanc ſententiam Hugo ad reprobum, qui nullum reperiet adjutorem poſt mortem: quoniam *in die illa viſitationis, & calamitatis de longe venientis ad nullius confugi poterit auxilium* c: pupillis vero malorum divitum nemo hic miſeretur; nec ibi comparatur quis ſuper peccatis impiorum, qui ſunt veluti pupilli & orphani eorum. Arnobius exponit, perſiſtendo in allegoria ſemel tradita, de diaboli poteſtate, quæ deficiat in ipſo, & Deum adjutorem penitus non habeat; neque ſit qui miſereatur nomen ejus.

a verſ. 5
Titus benignus princeps militum rabiem contra Judæos cohibere non potuit.
Blaſphemiæ Judæorum adverſus Chriſtianos
b ex colloquio Maioli de perfidia Judæor. pag. 23. & ſeq.
Execratoria formula Judæorum adverſus Chriſtianos
Execratoria formula adverſus Judæos
c Eſa. 10. 3

Non ſit illi adjutor) Hieron., *non ſit qui ejus miſereatur*. Alii *ne ſit ei extendens gratiam*, ſeu *miſericordiam*, vel *protrahens*, vel *prorogans*: *qui miſericordia ducatur ergà illum: qui humanitatis ullum præſtet officium*. Eſt משך חסר *moſech cheſed*, *trahens miſericordiam*, qui veluti miſeria tractus trahit, & perducit ad miſerum; ſed cum miſero deeſt prorſus cauſſa, quæ moveat commiſerationem, & ad ſe attrahat, deſinit qui tactus miſericordiam ad eum trahat. Hoc LXX. unico nomine ἀντιλήπτορος expreſſerunt, quem vocat Apollinarius, δευόμενον ἐπιταῤῥόθον eorum quæ deſunt. & *quibus eget quis ſuppeditatorem*. Merito deeſt Deus adjutor poſt mortem illi, qui dum viveret, *non poſuit Deum adjutorem ſuum, ſed ſperavit in multitudine divitiarum, & prævaluit in vanitate ſua* d *Adjutor eſt Deus*; verum *in opportunitatibus* e, tunc autem ceſſat opportunitas, & *in diluvio aquarum illarum ad Deum nullus approximat* * nec ad ullum Deus. *Non poteſt idolum*, quod quis colit, *adjuvare cultorem ſuum*, *quoniam non poteſt adjuvare ſe*, & *opus eſt illi adjutorium* f. Idoli rationem quandam habet quælibet creatura, cui peccator ſeruit potius, quam Creatori: & Creator merito cum exprobatione, ac inſultando eidem dicit, g *Surgat, & opituletur tibi tuus ille Deus σκεπαστής, protector, & in neceſſitate te protegat*. Subtrahit Deus adjutorium ab inobediente, & rebelle; à ſuperbo, & præſumente: à confidente in humano adjutorio; à præbente adjutorium improbis, à negante adjutorium his qui egent, ab obſtinato, & pervicaci; à jam damnato. Probat iſta ſcripturæ locis Ayguanus, & ad Judam proditorem applicat.

d pſalm. 51. 9
e pſalm 6. 10
* Pſalm. 31
f Sap. 13. 16
g Deut. 32. 38

Nec ſit qui miſereat pupillis ejus.) Hieronymus, *nec qui clemens ſit, &c.* Eſt חונן *chonen miſerans*, & *miſericors*, vel *clemens*. Sed LXX. ut phraſim variarent, in priore membro reddiderunt adjutorem. Pro *pupillis* idem nomen Hebræum eſt, & Græcum quod verſu 6. ubi Latinè *orphani*, quod ex Græcis ſumtum eſt. Apertus error eſt, de quo mouet Genebrardus, ſicubi legatur, *puſillis*, *orphano*, ſeu *pupillo Deus peculiariter adjutor eſt* h, & *eorum pater* i, *eoſque ſuſcipit* k: & *adjutorem* ſimul Deum vocat David, atque *miſerentem* l.

h pſal. 9. 34
i pſalm. 67. 6
k Pſal. 145. 9
l pſ. 29.

Verſ. 13.) Fiant nati ejus interitum; in generatione una deleatur nomen ejus.

Sensus loci

PRædicit imprecando defectum poſteritatis Judæ, ac Judæorum. Ac de filiis quidem carnis Judæ, ſi quos habuit, credi poteſt non perveniſſe ad ſecundam, tertiamque generationem; de Judæis vero ſpiritualibus ejuſdem filiis, ideſt, de illis, qui ei conſenſerunt, conſtat illorum regnum ſive rempublicam, interiiſſe, ne nomine quidem relicto. Nam nondum poſt Chriſti mortem generatione una finita, ideſt, quadrageſimo inde anno, everſis Jeroſolymis diſperſi ſunt per Orbem, *ſine Rege, ſine principe, ſine ſacrificio ſine altari, ſine aphod, ſine theraphim* m: & ita exciſi ſunt ſtirpitus de patria ſua *ſecuri ad eorum* veluti *radicem poſita*, ut Joannes prædixerat n, ut rurſus ibi germinare non poſſit: immo nec eo redire ipſis concedatur, non tantum veterum Imperatorum edictio, de quo prius memini, ſed etiam Turcarum: nomina vero ipſorum quaſi ex tabulis indigenarum dicti loci expuncta, oblitterataque videantur. *Poſt hebdomadas ſexaginta duas* Danielis *occiſo Chriſto, non fuit deinde populus, qui negavit eum; & civitatem, & ſanctuarum diſſipavit populus*) Romanus (*cum duce ſuo* o. Treſtetus juxta lectionem Hieronymi, *fiat noviſſimum eorum interitus, in generatione altera deleatur nomen ejus*, exponit de Saule, atque filiis, qui interierunt, & de nomine regio, quo licet aliquomodo ad generationem primam venerit, Isboſeth regnum ſibi vendicante, tamen ad alteram non pervenit. Arnobius interpretatur *in generatione una*, ideſt, in ſolo populo Chriſtiano, *deleri nomen* diaboli, ac poteſtatis ejus. Hugo tropologicè *natos in interitum* fieri, opera mala interpretatur, quę interitum afferunt *in peccatis ſuis morientibus* p, cum e contrario per *filiorum generationem*, ideſt, operum bonorum, *ſalvandi ſint* q, qui ſalvabuntur; & *deleri nomen in generatione una*, dicit eſſe, *deleri de libro viventium, neque cum juſtis ſcribi* r, & *in cælis* ſ, ubi *eſt generatio rectorum benedicta* t, una, ac ſola, ad quam electi pertinent, ſed *in terra* u.

m Oſee 3. 4
n Matt. 3. 10
o Dan. 9. 20
p Joan. 8. 21
q 1. Tim. 2. 15
r Pſal. 68. 29
ſ Luc. 10. 20
t Pſal. 111. 1
u Jer. 17. 13

Fiant nati ejus in interitu.) Hieron., *fiat noviſſimum eorum interitus*. Ex Hebræo clarius expreſſum eſt cum prępoſitione, *in interitum* לדברית *lebachrith*; quæ indicat deſtinationem quandam ad interitum, exitium, excidium. Pro *noviſſimo* autem אחרית *acharith* LXX. recte tranſtulerunt *natos*, qui & *poſteri* dicuntur, atque *poſteritas*. Interitum porro populi Judaici explicavimus, ut deſiderit eſſe populus ſecundum formam regni, aut reipublicæ unius. Denotant הכרית *hacerith* habens elegantem paronoſiam cum אחרית *acharith*, & ἐξολόθρευσις, exciſionem quaſi ex ipſis radicibus, ut pullulare denuo nequeat

in eadem regione, in alias regiones projectus, & conculcatus aridus truncus, videlicet pullulatione, atque germinatione integræ unius quaſi plantæ. Alioquin exciſus truncus plane aridus, proprie loquendo, nullibi pullulare, ac germinare poteſt; ſicque nullus extitiſſet in orbe Judæus, ſi nati eorum penitus interiiſſent. Placuit Agellio illa comparatio ex planta exciſa, & confirmat ſimilitudine *ſecuris ad radicem arboris poſitæ*, qua uſus eſt Joannes a: & quia pſal. 36. b opponuntur *exterminare* ac *diſperire*, & *hæreditare terram*, loquebatur Joannes de præciſa ſententia damnationis, vel judicii reſecantis ad vivum, nec exciſio quæ truncum reddit mortuum ſatis apte congruit diſperſioni, niſi juxta ſenſum, quem in paraphraſi poſui.

a Matth. 3. 10
b verſ. 9. 22

In generatione una deleatur nomen ejus) Hieron., *altera*: eſt אחר *acher*. Sed legerunt LXX. אחד *achad*, quod *unam* ſignificat; & ſolo levi litterę fluxu differt à priore nomine: punctorum autem inventio recentior eſt, ut ſæpe monui. Non diſplicet ex tabulis nominum translatio quā hic animadvertit Agellius, quibus inſcribantur nomina indigenarum, & quum diſperguntur, deleantur. Putatus Hierony. exclamat hoc loco prophetiam, & ſacramentum prophetiæ; deletum populum anno ſecundo poſt quadrageſimum à paſſione Chriſti, cùm perfecta ætas veniat anno quadrageſimo: Clementiam Domini fuiſſe, quod tot annis expectaverit ad pœnitentiam crucifixores ſuos, neminem tunc ex eis remanſiſſe. Hoc incertum: nec intelligo cur perfectam dicat ætatem anno quadrageſimo venire. Similis imprecatio Jeremię c, *da filios eorum in famem, & deduc eos in manus gladii: fiant uxores eorum abſque liberis, & viduæ, & viri earum interficiantur morte: juvenes eorum confodiantur gladio in prælio*; Item Oſeæ, d *da eis vulvam ſine liberis, & ubera arentia*. Poteſt præterea indicari fore, ut nullius ſint nominis Judæi, ſed habeantur inertes, ignavi, nihil memoria dignum facientes, infames, exoſi, viles, abjecti. Quod accidit illis jam inde ab ultimo Jeroſolymitano excidio. *Judæ* quoque nomine inter Chriſtianos vix eſt, qui appellari velit, propter execrandam proditoris memoriam; ſed pro alterius ſancti Apoſtoli Judæ reverentia ejuſdem cognomen aliqui uſurpent, nimirum Thadæi. Unius Judæ Chriſtiani mentio eſt in Actibus Apoſtolorum e: & alterius Eccleſiaſtici ſcriptoris apud Hieronymum f. *In generatione* item *una* deletum nomen Judæorum ſubtiliter explicat Martinus Alphonſus, quoniam nec Dei populus dicitur, nec ſcitur quis inter illos de qua Tribu ſit, ſed tantum quod ſit de generatione Judæorum. Prior Valentia hoc ultimum dixerat. Refert ex Richardo S. Victoris Ayguan. iſtius loci tropologiam de tētatione, quæ ne robur acquirat in prima generatione debet occidi; ut non oriantur ſpecies tamquam filiæ; quæ mentem alliciant, & nati, quum per conſuetudinem malum firmatur; ſicut in fęminis forma quæritur, in viris virtus præfertur; primam prolem eſſe in cogitatione, ſecundam in delectione, tertiam in conſenſu, quartam in affectu: non hic dici quod *ſine generatione debeat deleri nomen ejus*, quia ſi non tentemur, non coronabimur; ſi non pugnemus non ſuperabimus: poſtremo, quoniam *internæ pacis gaudia, quæ exuperant omnem ſenſum* g, non contemplamur, quamdium tentationis perturbationum moleſtiis fatigamur, non ipſum tantum peccatum, ſed nomen ejus etiam deleri nos deſiderare (hoc ſibi vult illud Pauli, *nec nominentur in vobis* h) ut vel nulla memoria conſcientiam remordeat.

Imprecatio.
c cap. 18. 21
d cap. 9. 14
Judæ nomine vix ullus Chriſtianus appellatur
e Act. 15. 22. 27. 32
f de ſcript. eccleſ.
Tropologia
g Phil. 4. 7.
h Epheſ. 4. 3.

Verſ. 14.) In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conſpectu Domini, & peccatum matris ejus non deleatur.

Senſus loci.

ACceſſit ad præcedentes calamitates Judæ, ac Judęorum, ut in illis punirentur patrū peccata, & matris, videlicet vel quę genuit Judam, vel totius Synagogæ, quę tanto ante valuit; vel etiam peculiariter civitatis Jeruſalem; & priorum Judæorum, qui jam inde à deſerto, & deinceps; poſt ingreſſum in terrā promiſſionis; atque ita veniret ſuper illos omnis ſanguis juſtus fuſus etiā multo ante conſtitutum populum, nempe ab Abel i; & quod ipſimet imprecati ſibi fuerant experirentur, ut *eſſet ſanguis Chriſti ſuper illos, & ſuper filios eorum* k. Quæ omnia de illis intelligenda ſunt; qui majorum ſuorum peccata imitantur. Nam, per ſe loquendo, *filius non portat iniquitatem patris* l. Quod *ſi impleant filii menſuram patrum* m, & *viſitat Deus peccata patrum in illos in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt ipſum* n; & qui abuſi ſunt ipſius miſericordia erga illos, aut pœna, qua eoſdem affecit, non profecerunt, nec reſipuerunt, & de medio tollendi fuerunt, ne illorum exemplum noceret aliis, ſicut nocuerat ipſis exemplum patrum. His namque, ac ſimilibus de cauſſis cenſentur priora parentum peccata redire in memoriam in conſpectu Domini, atque puniri in filiis, & poſteris eorum. Differunt hac de re cum Magiſtro o Scholaſtici, & B. Thomas p, & nos alibi tum in ſcripturæ commentariis, tum in theologicis diſputationibus; Janſenius, & Bochius hoc loco, Pererius noſter in Geneſim q, Philo r etiam, & Joſephus ſ atque Theophylactus t. Conſulendæ præterea leges Civiles u, & Halicarnaſſeus x, quum ſcribit de filiis Caſſii. Accommodat iſta Trevetus ad Saulem, ut cetera, ſed non admodum commode.

i Mat. 23. 35
k cap. 27. 25.
l Ezech. 18. 4. 20. Deut. 24. 16. 4. Reg. 14. 6. 2. Paral. 25. 4.
m Matt. 23. 32.
n Exod. 20. 5
o 2. d. 33.
p 1. 2. q. 87. ar. 8.
q lib. 14. diſ. 4.
r lib. de his verbis Reſipuit Noe, & lib. de ſpecial. legib.
ſ 4 antiq. cap. ult.
t in Joan. c. 9
u D. de pœnis lib. 20. Celſo 4. tit. ne filius pro patre, vel patre pro filio emancipato conveniatur item C. L. Quiſquid ad legem Juliam majeſtatis.
x lib. 8
y Luc. 1. 17
z cap. 1, 22

In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conſpectu Domini.) Accipiendo de Juda, *redeundi* verbum videtur innuere prius receſſiſſe in illo; de conſpectu Domini, iniquitatē patrum, quum eſſet Chriſti diſcipulus, & charitatē haberet; verum quando diſceſſit à Domino, & ad patrum iniquitatem reverſus eſt, ipſam eorum iniquitatem quam imitatus eſt, rediſſe in conſpectu Domini in memoriam, ut in ipſo vindicare. Quemadmodum *convertuntur corda patrum piorum in filios* y, quando hi illos imitantur; ſic etiam impiorum ſi eorum impietatem conſectentur. Momentum in utramque habet partem magnum, parentum educatio, & exemplum. Valent non nihil quoque parentum vel demerita, ut Deus propter illa poſteris beneficia conferat, aut quædam neget; ſed per ſe pœnam proprie dictam ſpectando, quæ dicit habitudinem ad peccatum, eam Deus infligit ei dumtaxat, in quo peccatum reſidet. Notatu digna phraſis, qua dicitur *iniquitas redire in memoriam in conſpectu Domini*. Sic in threnis z oratur, *ut ingrediatur omne malum hoſtium coram Deo*, ideſt, narretur in judicio ipſius recitetur tamquam de libro, ſpectandum proponatur, velut in tabula depicta. Ita quoque ſcribitur *introire in conſpectu Domini gemitus compeditorum* a, vel *oratio intrare* b, ac *poſtulatio* c, & *clamor* d, & *Deus ponere lacrymas noſtras in conſpectu ſuo* e, & *iniquitates* f. Cavendum, ne vel condonata ſemel peccata redire, arbitreris vel parentum alia peccata actualia præter id, quod originale nominatur, in liberos transfundi. Utrumque alibi confutavi, oſtendique quid ſit *redire in memoriam Dei*, aut *rememorari* g, aut *Deum meminiſſe iniquitatum antiquarum* h. Diſputat eadem de re, tametſi non admodum accurate, ac omnino vere is: qui ſub Athanaſii titulo auctor eſt quæſtionum ad Antiochum. i Quum autem morte puniantur tamquam pęna, omnes homines, colligitur omnes naſci cum peccato proprio, quod originale vocatur niſi quis ex privilegio præſervetur, ut Deipara. Quare non eſt mors aliis infortunium, & calamitas tantum, & ſolum pœna reſpectu Adami, qui eam luere cenſeatur etiā in poſteris. Sed eſt in ſingulis relicta ex ſingulorum peccato pęna; pœnalitaſve, qua Deus non punit niſi eos, in quibus eſt, vel pręceſſit culpa, aut ſi rationis uſum habeant, non punit pęna parentū, niſi illos, qui eos imitantur, ut ante dictū eſt.

a Pſ. 78. 11
b Pſ. 87. 3
c Pſ. 118. 170
d Pſ. 17. 7
e Pſ. 5. 9
f Pſ. 89. 8
g 3. Reg. 17. 18
h Pſ. 78. 8
i q. 66. & 67

Et peccatum matris ejus non deleatur.) *Matrem* numero ſingulari nominavit, *patres* in plurali, quia patrum traditio, ac exemplum pluris fit, efficacius eſt; *Non deleri peccatum*; & *deleri* quid ſit; cognoſces ex dicti pſalmo 50. k *ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam*. Videtur hoc loco de pœna peccati, ſeu de reatu, ac debito pœnæ ſermo eſſe; qui eſt effectus maculæ peccati, ac interdum reſidet ex parte, deleta prorſus macula. *Cognoſcere nos coram Domino* profiteamur *impietates noſtras, iniquitates Patrum noſtrorum, quia peccavimus ei*: l oremus *ne vindictam ſumat de peccatis noſtris, neque reminiſcatur delicta noſtra, vel parentum noſtrorum* m.

Patris traditio & exemplum pluris habetur quam matris.
k verſ. 3
l Jer. 14. 20
m Tobiæ. 3. 3

Verſ. 15) Fiant contra Dominum ſemper, & diſpereat de terra memoria eorum.

Senſus loci

REpetitio videtur præcedentis verſus de patrum Judæ, ac Judæorum iniquitate verſante in memoria Domini & in conſpectu ejus, nec delenda ex eadem memoria. Nam imprecando futurum præcidit, ut & pa-

trum, ac matris Judæ, Judeorumque, & horum peccata ſemper obverſentur memoriæ Dei, & ſint coram illo, & quaſi è regione, ac ex oppoſito occulorum ipſius, ut ea ſemper videat, nec umquam obliviſcatur, è contrario, ut iſtorum eorumdem pereat apud homines memoria, *nec illorum recordentur, vel memores ſint nominum ipſorum per labia ſua* a, niſi cum contemtu, horrore, abominatione, deteſtatione, execratione. Si expedit odiſſe homines, & gentem aliquam deteſtari, miro odio averſor cum Hieronymo b, circumciſos. Uſque hodie enim, inquit, perſequuntur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in ſynagogis Satanæ. Quo in genere exemplum perilluſtre Nicogonis Armeni monachi alias c recitavi, quod hortor legas. Sunt qui declarent fieri contra Dominum ſemper, Domino ſemper adverſari, ac ut Stephanus objiciebat, Judæis d, *Spiritui ſancto reſiſtere*: vel *Deo non placere*, ut ait Paulus e, & propterea *vidibus hominibus adverſari, ſicut occiderunt Dominum Jeſum, & Prophetas*.

a Pſalm. 15 4 — b Epiſtol. 65 — c in Act. cap 7. pag 73. 5 edit ſecunda — d Act. 7. 51 — e 1. Theſſ. 2 15

Fiant contra Dominum ſemper.) Hieron. *ſint*, &c. Chald. *ſint in conſpectu verbi Domini*. Prima expoſitio eſt Græcorum, & ex Latinis Auguſtini, Proſperi, Hugonis, B Bedæ, Brunonis, Ludolphi, Genebrardi, Janſenii, Agellii, Flaminii, Panigarolæ, Philippi de Portes, Peregrini, Heri, Crucii, Humfridii, Bellarmini, qui tres ultimi noſtri ſunt; Folengii, qui videtur opponere Deo velut objectum, circa quod ille verſetur puniendo: præterea Vatabli, Campenſis; denique Hebræorum, & hæreticorum etiam, ut eorum iniquitates, & peccata ſint ſemper coram Deo, nec umquam eorum obliviſcatur. Quo pacto in pſalmo 50. f David *peccatum ſuum contra ſe ſemper eſſe* dicebat, ideſt, ſemper illud cognoſcere. Secunda tamen etiam cohæret recte cū phraſi, ut prædictio ſit obſtinationis Judæorum qui contumaciter Domino reſiſtant. Explicant Caſſiodorus, & Haimo, ut ſicut in vita ſunt contrarii Domino per ſimilitudinem vitę, ita in alia vita ſint contrarii; & quando Dominus in gloria quieſcet cum ſuis, ipſi torqueantur ęternis ſuppliciis. Eumdē ſenſum ſequitur Pampolitanus de contrarietate per peccatum; item Remigius & Rickelius, qui exprimit, ut ſemper contra Chriſtū ſuperbiant, & infideles permanet, ac obſtinati, ſic que *domus Iſrael cadens non adjiciat, ut reſurgat* g, Lyranus, Ayguanus, Cajetanus, Ti- C telamus, Placidus Parmenſis, Rainerius, Lindanus, Tyroboſcus, Arias Montanus, qui declarat, ut Deus reputet adverſarios ſibi eſſe, atque conſulto ſibi obſiſtere: Bochius exponit, ut provocent iram offenſi Dei; adhuc Turrecremata, & Valentia, qui vocant inimicos formatos, manifeſtos, contrarios Chriſti, ſemper murmurantes contra illum maledicentes, blaſphemantes in Synagogis ſuis; vitiantes vero, corrumpentes, negantes ſacram Scripturam, atque male & falſe gloſſantes.

f verſ. 5 — g Amos 5. 2

Utrum peius, quod ſit quis *contra Dominum ſemper*, vel *contra illum Dominum*? Si Dominum eſſe contra quempiam, eſt odio perſequi, reciprocantur hæc duo; quoniam odit odientes ſe, ſicut *diligentes diligit* h, Quandoque *contra Dominum prævalet homo* i ſed quia vinci ſe Dominus ſinit. Numquam autē ille contrarius magis homini, quam quum *ponit eum contrarium ſibi* k, hoc modo, ut is contra ipſum ſit ſemper, ſemper *contradicat fictori ſuo* l, ſemper conſtituat illum *ſibi ſignum, cui contradicat* m, ſemper *contradicat ſermonibus ſancti* n, ſemper *laboret ſpiritu contradictionis* o. Nulla maledictio, & imprecatio deterior, D quam ut quis *contra Dominum fiat ſemper*. Nam quia cùm dicitur *Deum contra alium fieri*, ſolet intelligi, quod eum puniat; punire etiam gehenna, immo & odiſſe odio dignum ad juſtitiam pertinet, quod oderit quis Deum, per ſe malum eſt: proterea ſine dubio longe deterius eſt *contra Dominum* ſic eſſe, immo hoc proprie malum eſt, non vero ut ſit Deus contrarius, quo tandem cumque modo contrarius exiſtat. Orandus Deus enixe, ut *avertat faciem ſuam à peccatis noſtris* p, quod non poteſt, niſi ea penitus tollendo; petendum quoque ab ipſo, ut *ſi iniquitates noſtræ reſponderint nobis*, hoc eſt, ſi teſtificetur contra nos, quemadmodum explanat Paraphraſtes, vel reſiſtant Deo contra nos, ut LXX & alii) *faciat ipſe ſecundùm miſericordiam ſuam*, ſeu *propter nomen ſuum* q. *Non eſt contra Dominum conſilium* r, ſed capienti contra ipſum, recedit peſſimum. Quare præſtat ut *ſint conſilia noſtra, ipſæ Domini juſtificationes* ſ.

h Prov. 8. 17 — i Gen. 32. 28 — k Job 7. 20 — l Eſa. 45. 9 — m Luc. 2. 34 — n Job. 6. 10 — o Num. 20 13. 24 — Odiſſe Deū per ſe malum eſt. — p Pſ. 50. 11 — q Jerem. 14 7 — r Prov. 21. 30 — ſ Pſ. 118. 24

Et diſpereat de terra memoria eorum. (Hieronymus *intereat*. & Alii *ſuccidat terra memoriam eorum*, vel *exterminet*. Idem verbum יכרת cùm variis punctis active, & paſſivè ſumi poteſt, ut ſit יכרת *ichroth*, ſive יכרת *iachreth* ſive יכרת *iecharetb*, aut יכרת *iecharetb*, ſive יכרת *iechoreth*. Non legi qui, præter Euthymium, legeret pronomen in ſingulari numero. Nicephorus diſerte admonet, numero multitudinis infideles omnes deſignari. Contra Euthymius notat rediri per ſingularem numerum ad Judam; Prophetarum vero mortem eſſe; ut prophetias intercidant, & alia in medio ponant, ac rurſus ad primum argumentum redeant, ſicut adminiſtraverit ſanctus Spiritus.

Verſ. 16.) Pro eo, quod non eſt recordatus facere miſericordiam,

Verſ. 17.) Et perſequutus eſt hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare.

Senſus loci.

EXponit potiſſimam cauſſam tantarum calamitatum Judę, ac Judęorum; quoniam nimium ſævi adverſus Chriſtum, nulla moti ſunt commiſeratione, adeo pii, & benefici, cum furere viderent in illum Principes ſuos; ſed Judas quidem tradidit, Judæi vero importuniſſimè conclamarunt, ut crucifigeretur. Quod inde præterea exaggerat, quia nec dubitarunt perſequi Chriſtum, qui externa ſpecie, uſuque vivendi paupertatem præferebat, & aliquando etiam mendicabat; corde autem compunctus erat, hoc eſt, variis anxius curis & ſolicitudinibus pro ſalute hominum, tum in reliqua vita, tum eo preſertim tempore, quo mortificationem ipſius, ideſt, interfectionem, & Judas, & Judæi procurabant; poſt mœſtitiam animæ uſque ad mortem, miſſo ſanguineo ſudore in horto, vigiliaque longa exhauſtus, qui & ob præteritos labores vulgo exiſtimatus eſt prope quinquagenarius t, trigenario non valde major. Duxerat Chriſtus: *pauperem, & in laboribus à juventute vitam* u, *nec ubi capus reclinaret, habens* x: *quam prædicabat penitentiam* y, exemplo etiam demonſtrabat; licet ſeſe ad communem victus rationem accommodaret aliquando, ut facilius ad ſe pelliceret peccatores. Non poterant crudeles Judæi cum ſuo duce Juda, vel injuriam cauſari à Chriſto acceptam, quæ ad iraſcendam illi, vindicandumque compelleret, non accendi cupidine lucri ad ſpoliandum divitem; non tabeſcere invidia propter fęlicitatem ipſius. Nihil *humilius, & mitius Chriſto* z, *qui non contendebat, & non clamabat, nec audivit aliquis in plateis vocem ejus, arundinem conquaſſatam non confregit, linumque fumigans non extinxit* tam erat pauper, ut præter ea, quæ dixi, *fabri filius* vulgo haberetur b; nec niſi piſcatores pauperes, & vilis fere conditionis diſcipulos aggregaret ſibi, poſtremo cuncti ſermones ejus de pœnitentia, mundi contemtu, appetitu bonorum cœleſtium; virtutum ſtudio, reprenſione vitiorum erant: pertranſiit benefaciendo quovis beneficii genere tam corporali, quam ſpirituali. Non mollivit ferreum Judæ pectus, non ſolum Apoſtolica ſumma dignitas, & domeſticæ rei qualiſcumque præfectura, ſed neque tot illæ artes, quibus retrahere Chriſtus conatus eſt à proditione, vel ad pœnitentiam revocare. Profundiſſima oblivio miſericordiæ fecit, ut nec eam exercere erga Chriſtum, nec admittere ſibi oblatam poſſet. Nihil profuit proditum fuiſſe proditorem à Chriſto, pedes ipſi ab eodem lotos, præbitam Euchariſtiam, & intinctum panem, receptum eſſe ad oſculum, immiſſam illi pœnitentię cogitationem; qua ſe agnoſceret peccaviſſe, tradendo ſanguinem juſtum. Denique laqueo ſe ſuſpendens, *judicium ſubiit ſine miſericordia, qui non fecerat miſericordiam* c; nec recordatus fuerat eam facere. De Saule Davidem perſequente immaniter, Trevetus hęc accipit, cùm David fuga ſibi conſulere, ac in locis deſertis egens, inopſque latitare cogeretur; qui etiam cum ſemel hoſtis, quem habebat in manibus, *extremam clamidem cùm præcidiſſet, percuſſit ea de cauſſa cor ſuum* d; & nihilominus poſtea vitæ inſidiantem eſt expertos. His qui omnia referunt ad aliquem qui machinatus fuerit contra Sacerdotum, poſt reditum ex Babylone, favet *Oniæ* nomen, qui tunc Pontifex religioſiſſimus erat qui *Onias* κατ᾽ ἐτυμον, ſignificat *inopem*, hoc loco עני *hhoni*, appellatum. Latiùs extendi poſſunt ad alios Davidis perfidos, ingratoſque perſecutores, & calumniatores: vel univerſe ad quorumlibet ſic ſævientium genus; ita tamen, ut Judæ, ac Judæorum dictum exemplum tamquam in eo genere maxime inſigne, comprehendi, ac diſerte quoque notari intelligatur, propter communem Catholicorum ſententiam.

t Joan 8. 57 — u Pſ. 87. 16 — x Matth. 8. 20 — y cap. 4. 14 — z cap. 11. 29 — a c 12. 19. 20 Eſa. 42. 1 — b Matt. 13 55 — Judam tanta oblivio coperat ut nullis miſericordiæ argumentis ejus memoria excitari potuerit. — c Jacob. 2. 13 — d Reg. 24. 6 — Onias inopē ſignificat.

Pro

Pro eo, quod non eſt recordatus facere miſericordiam.) Ex iſtis paucis verbis integer verſus in Bibliis noſtris ponitur: in Pſalterio Romano, hinc ducitur exordium quidem verſus, ſed qui quum hìc recitatis aliis integrum componat. Quod fit præterea in Hieronymi translatione, ac in textu Hebræo, Chaldęoque. *Non recordari facere miſericordiam*, plus ſignificat, quam præ ſe ferat, ſcilicet perſequi crudeliter, ut Lyranus annotat. Tantis argumentis non excitari memoriam, quæ antea recitavi, hominis eſt, qui ſe ſit hominem eſſe oblitus; atque in ſupremo ingratitudinis gradu conſtituti, & omni execratione digniſſimi, *cujuſque*, ut prius dictum eſt, *diſpereat de terra memoriam*, ideſt famæ celebritas, redeat autem in memoriam iniquitas tanta. Juda miſericordiam facere non eſt recordatus, non largiendo egenis creditam ſibi pecuniam. a Multo autem magis eam facere prætermiſit erga Chriſtum, ut Hugo, qui & illud notavit, quum ceteris paſſim docet. Judæos nulla tetigit commiſeratio Chriſti tam crudeliter tractati, quum illum ea de cauſſa Pilatus in publicum producens, dixit, *Ecce homo*; b quaſi diceret, cujus vos miſereri, ſi homines eſtis, & non feræ, oportet. Tam afferæ B ſunt quidam natura, ut in eos quadret ovis lupum lactantis apologus.

a Joan. 12. 6 — b Joan. 19. 5 — c Theocrit.

c αὐξηθεὶς δ᾽ ὑπ᾽ ἐμοῦ κατ᾽ ἐμοῦ πάλι θηρίον ἔσαι:
ἡ χάρις ἀλλάξαι τὴν φύσιν οὐ δύναται.
Auctus enim à me, contra me rurſus fera erit:
Beneficium mutare naturam non poteſt.

Id verſu reddiderunt Januas Pannonius, Eraſmus. Urſinus, Velius, Alciatus.

Nutritus per me, rurſus, ſcio, ſæviet in me:
Vetere naturam, gratia nulla poteſt.

Item,

In me rurſus erit fera, poſt quam creverit ex me:
Natura haud umquam vertitur officiis.

Item,

In me lacte meo nutritus ſeviet olim.
Flectere naturam gratia nulla poteſt.

Item,

Creverit ille ſimul, me, me poſt ubera paſcet.
Improbitas nullo flectitur obſequio.

Poſtremo, ne nunc adverſus ingratos parum grate plura proferam:

d *Nil homine terra pejus ingrato creat.*

d Auſonius epigr. 130. c. Menandr.

Recte omnino Judas, Judæuſque populus nomen gerit *abſque miſericordia* e לארחמה *lo ruchamah*, ἀνελεημοσύνη, quia *non addet ultra Deus miſereri iſtorum, ſed oblivione obliviſcetur eorum*. Tametſi *reliquiæ Iſrael ſalvæ tandem fient*. f Qui non *miſeretur animæ ſuæ placens Deo*, g ſuimet profecto obliviſcitur, quique hic *beatus* in ſpe non fuit, *miſericordiam* ibi in re non *conſequetur*. h *ignorans ignorabitur*, i oblitus oblivioni tradetur ab eo, qui alioqui non *obliviſcitur, miſereri*: K ipſamet *miſericordia obliviſcetur ipſius*; l & qui *in hominem ſibi ſimilem non habuit miſericordiam, quum de peccatis ſuis deprecabitur altiſſimum, non erit qui exoret pro illis*.*

e Oſeæ. 1. 6 — f Rom. 9. 27 — g Eccl. 30. 24 — h Matth. 5. 7 — i 1. Cor. 14 38 — k Pſal. 76. 10 — l Job. 24. 20 — * Eccl. 28. 5

Et perſecutus eſt hominem inopum, & mendicum.) Hieronymus. *pauperem* ponit ſecundo loco. *Mendicum* proprie ſignificat πτωχὸς. De his vocibus Latinis & Græcis, D atque etiam de Hebraicis, egimus alibi: præterea oſtendimus quomodo Chriſtus mendicaverit. Putant aliqui m ſolo ipſo circumjectu oculorum ſignificari; mendicaſſe Chriſtum, quando ſcribit Marcus, n quod *circumſpectis omnibus, quum jam veſpera eſſet hora, exiit in Bethaniam cum duodecim*: Sic videlicet invitando, ac provocando, ſi quis vellet eum ſubtectum recipere; quod fecit nemo: fuitque res eo mirabilior quod proxime ante Regem acclamaverant, regieque exceperant. Quamvis alii de luſtratione templi interpretentur, ut Euthymius, & indicetur neutrius genere nomine πάντα. Diſceſſiſſe inde Chriſtum ea de cauſſa Hieronymus, Beda, Strabus tradunt. Mendicare poſſe hoc modo, concedo, quem innuunt verba Job, *o ſi oculos viduæ*, ipſo namque oculorum aſpectu implorantis opem, *expectare feci*: præterea ſola, ſine voce, manus protenſione, quaſi manu tantum dicendo, aut manum ducendo, ut Ayguanus notat, cui etymologia Feſti ſimilis, manu indicando: quamvis alias addat, à mente quam fefellerit fortuna; vel quod mendicus precetur quemque, ut vitæ ſuæ medeatur cibo; & Varro p derrivat à minus quum opus eſt, minus nullo ſit: Auctor libri Catholicon, cujus primæ notationes duæ ſunt, *mendicum* dici etiam vult veluti, menſæ divitis capulum; vel quaſi minus degentem, aut minus habentem unde degat. Sed quiquid ſit de mendici etymo; An verbis præterea mendicaverit Chriſtus nec auſim affirmare, nec negare. Affirmare nil incommodi eſt, hocque Hugo feciſſe ait Chriſtum, quando aquam popoſcit à Samaritana. q Confunditur interdum cum *mendico, pauper*; conſtatque Chriſtum *propter nos egenum factum, quum eſſet dives*, r non tantum aſſumtione pauperis naturæ noſtræ, ſed etiam ex aliena miſericordia vivere volendo, quale miniſterium piarum fæminarum erat. ſ Ambroſius t priore Chriſti diſputans paupertate, qua ſublevare noſtram dignatus eſt, ſcribit, ſi quis dubitet pſalmi 40. verba de illa ſumere, *Beatus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem*, certe in iſto verſiculo noſtri pſalmo dubitare non poſſe, qui adverſus proditionem Judæ ex perſona dicitur Salvatoris. Legendos Ambroſii commentarios otioſe. Placet quoque Genebrardi opinio, *pauperem & mendicum* ſumi hoc loco pro calamitoſo, & ærumnoſo, ut ſolent linguæ vulgares uſurpare.

m Gloſſ. interli Marci. 11. Cajetan. Janſen. in Evang. & Janſſon. hoc loco. — n cap. 11. 11 — o cap. 31. 16 — Mendici etymologię & notationes. — p Lib. 4. de Ling. latina — Num Chriſtus verbis mendicaverit incertum. — q Joan. 4. 9 — r 2. Cor. 8. 9 — ſ Luce 8. 3 Marc. 15. 41 — t in Pſal. 39

Et compunctum corde.) Alii, *attritum*, ſeu *contritum corde fractum animo ex corde mœrentem, mœſtum animo*. Negant Auguſtinus, Proſper, Caſſiodorus, intelligi hoc de Chriſto; quia compunctio eſt eorum, quorum pœnitentia, ſed de aliis. Tamen Latini ceteri, Græcique referunt etiam ad Chriſtum, quatenus compunctus eſt corde non propter ſua, ſed propter peccata noſtra, ac peculiariter ob proditionem Judæ, & Judæorum ingratiſſimorum ſævitiam, & eorumdem damnationem: præterea qui erat humilis corde, ſeſeque ſumma modeſtia ſemper geſſerat, ac tunc maximè, quum raperetur ad tribunalia. Apollinarius interpretatur βαρυώδυνον *onuſtum doloribus*, quem vocat Eſaias u *virum dolorum, & ſcientem infirmitatem*. Non ergo *compunctio cordis* hic neceſſario ad penitentiam pertinet, de qua aliquot locis x accipitur: quemadmodum nec *vinum compunctionis* y nec *ſpiritus*, z de pœnitentia debet intelligi. Utrum ipſe habitus penitentię fuerit in Chriſto, differunt Theologi. Si concedatur, conſideranda erit pœnitentia, non juxta tritam notionem vo- C cis, qua reſpectus connotatur ad proprium peccatum commiſſum, ejus retractationem, vel ad abſolutam aptitudinalem diſpoſitionem, ut peccare quis poſſit; ſed quatenus dicit conceptum juſtitiæ divinæ, ut nimirum quævis voluntas creata tenetur jus divinum illæſum ſervare, atq; abſolutam voluntatem habere, nullum divinum mandatum tranſgrediendi, ne fiat Deo injuria, & odiſſe peccatum, ut eſt injuria Dei, & velle vitare omnem injuriam ejus propter turpitudinem, quam in ſe habet, ſive ob honeſtatem; quæ eſt in contrario objecto: & habere propoſitum ſatisfaciendi offenſæ divinæ, à quocumque fiat; & juſtitiæ, à quocumque lædatur. Hoc modo Chriſtus formaliter intendebat ſatisfacere juſtitiæ divinæ, non pro ſuis actualibus peccatis, aut poſſibilibus; quæ neutro modo poni debent in ipſo, ſed pro peccatis aliorum. Legatur Suarez a noſter, qui probabile quoque exiſtimat hujuſcemodi virtutem aut non eſſe re ipſa diſtinctam ab omnibus aliis virtutibus moralibus, aut non à charitate, vel à juſtitia, vel à Religione.

u cap. 53. 3 — x Pſ. 4. 5. Pſ 20. 13 Pſ. 14 15. Act. 2. 37 — y Pſal. 59. 5 — z Rom. 11. 8 — Notio vobis penitentiæ. — a 3. p. tom. 1 diſp. 4. ſect. 5 & diſp 19 ſect. 1. & tom 4. diſp. 7 1. poſt. artic. 4

Mortificare.) Hieronymus, *ut interficeret*, למותת *lemotheth*: τοῦ θανατῶσαι Aliter, *ad interficiendum*. In D Romano Pſalterio, apudque Caſſiodorum, *morti tradidit*. Nempe perſequuti ſunt couſque, ut interficerent; Judas prodeundo, & manibus tradendo ſatellitum; Judæi magnis clamoribus inſtando: ut crucifigeretur. Sic alibi b ſumitur *mortificare* pro eo, quod eſt *occidere*: quamvis uſus Eccleſiaſtico accomodetur ad perturbationum caſtigationem. c Sex Hugo in Juda, & Judæis obſervat mala, totidem in Chriſto bona. In illis perſecutionem, inhumanitatem, crudelitatem, contumeliam, inclementiam, homicidium, quæ ſingulis aſſignat verbis, perſequutus eſt, hominem, pauperem, & mendicum, & compunctum corde, mortificare. In Chriſto ſecundum eorumdem verborum accommodationem virtutes patientię, manſuetudinis, paupertatis, verecundiæ, afflictionis cordis, paſſionis Idem Auctor applicat locum totum ad immiſericordes, & immites, crudeleſque magiſtratus, potiſſimum Eccleſiaſticos. Intendiſſe digitum ſit ſatis.

b Pſ. 36. 1. Pſ 44. 23. Pſal. 78. 11 Rom. 8. 36. 2. Cor. 6. 9. 1. Petr. 3 18. Prov. 19 16 — c Rom. 8. 13 Coloſſ. 3. 5 — In Juda, & Judæis tex mala, in Chriſto totidem bona obſervata.

Verſ. 18.) Et dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.
Et induit maledictionem ſicut veſtimentum, & intravit ſicut aqua in interiora ejus, & ſicut oleum in oſſibus ejus.

Senſus loci.

DIxerat cauſſam tot maledictionum, & excrationum in Judam; Judæoſque. ipſorum immanem ſævitiam contra innocentes, omnique digniſſimos commiſeratione fuiſſe, præcipuè contra Chriſtum; nunc ait, numero ſingulari deſignans peculiariter Judam, aut collectivè multos comprehendendo, non eſſe quod quiſquam Prophetæ ſit infenſus male ominanti, vel precanti: illos ſibimet mala illa quaſi ex induſtria accerſiviſſe, perinde ac ſuiſmet damnis delectarentur, eaque conſectarentur, ut bona fugerent, ac longius ab ſeſe removerent. Pro pecuniola Judas vendidit Auctorem omnis benedictionis, plus illam diligens, quam iſtam; & malens maledictionem æternam incurrere, quam lucello viliſſimo carere, privari Chriſto, à quo ſummi boni benedictionem conſequi poterat, & cujus tam eximia beneficia jam expertus fuerat; quam promiſſum tam exiguum prætium non adipiſci. Maledictionis vero gravitatem, quodque ſecum omnium involvat cumulum malorum, & externorum, & internorum, & corporis, & animi, demonſtrat pro externis una, duplici ſimilitudine pro internis. Similitudo prima ſumitur ex veſtimento, quod omne corpus ambit undique. Aliæ duæ ex aqua, quæ demerſi cuncta membra ſubit etiam in interiora; & ex oleo, quod penetrat qua pollet ſubtilitate, oſſa ipſa; quum aqua non pertingat omnes internas carnes, venas, nervos. Talis omnibus damnatis maledictio communis, qua remoti à Dei conſpectu per pœnam damni, ad ignes æternos amandabuntur. Sed Judam, & Judęos gravius percellet ea ſententia in corpore ſimul cum anima; jam vero etiam peculit mortuos in anima: dum viverent in ipſo quoq; corpore, & qui ſuperſunt in ſuimet corpore, pœnas luunt, de quibus actum prius. Non ſolum temporales lex vetus promiſit benedictiones, comminataque eſt maledictiones, potiſſimum in Levitico, & Deuteronomio; quas attigimus ſub initium pſalmi. Verum etiam Chriſtus in lege nova ſæpius tum benedictionibus allexit, tum terruit minis maledictionum, dicens quoque, *Væ homini illi, per quem traderetur* a. Judæi vero non dubitaverunt ſanguinis innocentiſſimi, pretioſiſſimique à ſe fuſi vindictam imprecari ſibi, ac ſuſcipere in ſe, ſumma inſania vociferando, b *Sanguis e us ſuper nos, & ſuper filios noſtros*. Paulus *Judæos indignos ſe judicantes vitæ æternæ dimittens, converſus eſt ad Gentes*; c & *ablatum ab illis regnum, iſtis datum eſt*. Negaverunt ſe diſcipulos ejus, ſed an vellent eſſe interrogantem, maledixerunt; e & profeſſi ſunt *alium ſe Regem non habere, niſi Cæſarem*; f & quum *vellet Chriſtus filios illorum congregare, ſicut gallina congregat pullos ſuos, noluerunt*, viciſſimque comminatus eſt ille, fore, *ut relinqueretur domus eorum deſerta*. g Trevetus Sauli convenire hoc ait, quando pythoniſſam conſuluit, atque à Samuele advocato pro benedictione maledictione reportavit; *h* indutumque illa fuiſſe, quoniam attigit ipſum & ſobolem, ac totius coopertus eſt calamitate interioris mœſtitiæ, exterius vero illa percuſſus in ſeipſo, & ſuis tum liberis, tum rebus. Hugo advertit in iſtis comparantibus maledictionem, ut ſit, qua corpus afficiatur, quod veſtitur, animæ ſenſualitas, in quam diſſuadeat ſe aqua delectationis pravæ; ejuſdem rationalis pars veluti oſſea, quam penetrat quoque blandior voluptas. Verum ſpectant hæc ad tropologiam. Quod Alphonſus Martinus affert poſt Lyranum, & Ayguanum, prius ad rem facit, licet ſub figurata oratione: triplicis boni privationem denotari, quia puniti ſunt Judæi; fortunæ in veſtimento, corporis in aqua, animæ in oleo. Veſtimentum exterius ambit, aqua perhibitur, oleum penetrat maxime. Valentia explicat de vexationibus externis, quibus infœlices Judæi vexantur; qualia ſunt opprobria, & tormenta Saracenorum, atque Turcarum, & de internis morbis; cujuſmodi ſunt in fœminis menſtrua; & quoſdam à fide dignus accepiſſe ſe dicit, cœlum ſuſpicere non poſſe, ſtellaſve numerare, aut ſpuere in altum: & de continuo conſcientiæ remorſu, quum videant vera eſſe, quæ de Chriſto dicuntur, impletaſque de illo Scripturas: & de continuo dolore, quod ſe cunctis ſevire cernant.

a Matt. 26. 24
b cap. 27. 25
c Act. 13. 46
d Mat. 21. 43
e Joan. 9. 28
f cap. 19. 15
g Matt. 23. 37
h 1. Reg. 28. 7. & ſeq.

Triplicis boni privatio, qua puniti ſunt Judæi.

Et dilexit maledictionem, & veniet ei.) Nemo directè, per ſe, formaliter maledictionem diligit, ut neque malum: ſi ſub ſua mali, & maledictionis ratione proponatur: quemadmodum nullus refutat, vel rejicit benedictionem, & bonum, quatenus talia ſunt. Cenſentur tamen iſta facere, qui propria culpa ſunt in cauſſa cur maledicantur, & non benedicantur, malis afficiantur, bonis priventur. In eodem ſenſu docuimus accipi, quod quis diligat iniquitatem, oderitque animam ſuam. *i* Tales Deus in jus vocans *K*, ait, Audite &c. qui odio habetis bonum, & diligitis malum. Tales præterea, qui lætantur, quum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis. *l* Qui amat periculum, peribit in eo; *m* qui Cæſarem appellat, ad Cæſarem ibit. *n*

i pſalm. 10. 9
k Michæ 3. 2
l Prov. 2. 14
m Eccl. 3. 27
n Act. 25. 11

Et noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Propoſuit Deus nobis, & optioni, arbitrioque noſtro *o* vitam, & bonum, vitam, & mortem; ignem, & aquam; bonum, & malum; benedictionem, & maledictionem; ut quod placuerit nobis, detur nobis. Argumentatur Arnobius adverſus hæreſim, quæ dicit Deum alios prædeſtinaſſe ad benedictionem, alios ad maledictionem. Hic enim; ait, ex dilectione ſua, maledictionem habere probatur, & nolle ſuum benedictionis præmium non habere. Nondum nata erat hæreſis hæc ſub nomine *Prædeſtinatorum* ætate Arnobii, qui fuit magiſter Lactantii; ſed anno circiter 414. ut Sigebertus *p* teſtatur. Quæ ratio, inter alias alibi allatas, perſuadet illum non eſſe, qui nomine dicitur Arnobii, commentarii in pſalmos Auctorem. Elongatur benedictio ab iis, qui quando prope erat, recipere noluerunt; & cum illam, ac *ſalutem quærunt, elongatur* q, ideſt, non habens eaſi ſalutis opportunitates, qua prius, licet neceſſariæ nemin, deſint. *Qui vocati renuerunt, non aſpexerunt, deſpexerunt, neglexerunt, in illorum Deus interitu* minatur *ſe riſurum*. *ſui ſanaturum, non exauditurum, non inveniendum ab eis* r *Elongantes ſe à Deo peribunt* ſ quoniam *elongabit ille ſe ab eis*, t *longeque ſalus erit ab ipſis*. *u* Ipſa per ſe veluti fugax bene agendi occaſio perſequenda, & quodammodo, exemplo Jacob, ſurripienda. *x* Sic elongas te ab illa, multo quam prius magis illa elongat ſe. *Appropinqua Deo & appropinquabit tibi*. *y* Hic occaſio de occaſione non importuna. Arripe quæ de illa Joannes David in opere, cui occaſio titulum fecit. Hæreat memoriæ dictum illud per accommodationem, z *Feſtina tempus, & memento finis*. Uſus eſt Paulinus *a* accommodate eadem ſententia hac noſtra, ut rationem redderet Severo, cur Victoris humillima in ſe admittere officia voluerit. (Dilexi enim fateor, ait, in ejus obſequio benedictionem, timens, ne repudiata elongaretur à me, quia ſcriptum tenebam, *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.*) Exemplum ſimile Othlo Fuldenſis *b* de Bonifacio narrat, poſtea Moguntinenſi Epiſcopo c quum Gregorius Papa II. creare Epiſcopum vellet; caviſſe tandem, ne ſi pertinacius recuſaret, videretur noluiſſe benedictionem, quæ propterea elongaretur ab ipſo.

o Deuter. 11. 26: cap. 30. 19 Eccl. 15. 7. 8
p in Chron.
q Pſa. 59
r Prov. 1. 24 & ſeq.
ſ pſal. 77. 22
t pſal. 70. 12
u pſ. 118. 155
x Gen. 27. 36
y Jacob. 4. 8
z Eccl. 16. 10
a epiſt. 3. ad Severum.
b in vita l. 1

Et induit maledictionem ſicut veſtimentum.) Hieronymus, *& inditus eſt maledictione quaſi veſtimento ſuo. Induendi* verbo in hac forma Scripturę crebro utuntur, ut prioribus pſalmis vidimus, v. g. dicendo quempiam *indui confuſione*; c *decore & fortitudine*; d *confeſſione, & decore*; e *decore, & honore*; f *pudore, & confeſſione*; g *juſtitia*; h *ſalutari*; *i* præterea *fortitudinem, & decorem indumentum* vocant; K item *juſtitiam, & judicium*; l ad hæc dicunt *carnem indui putredine*, *m* aliquem etiam *ſuperbia*, n *mærore*, o *ſtupore* p, & aliis modis utuntur. Poſtremo i ſicut *ſtolam gloriæ* q, ſic *luctus* indumentum, veſtimentumve, *vexationis* in appellant, *& pacis*. r Dicunt quoque prophani Auctores *induere mores, formam mortalem, iram, pavores, imaginem mortis, bona artes; falſam ſcientiæ perſuaſionem, ſeditionem, ſpiritus hoſtiles, vetuſtatem* & ſimilia; item, *involuere ſe virtute*;* quemadmodum in quodam pſalmo canitur, aliquos *opertos eſſe iniquitate, & impietate ſua* ſ. Et quandoque ſignificatur externa quędam rei ſpecies, fictio ſimulatio: alias autem, ſicut hìc, re, de qua agitur, plena, velutique omni ex parte ambiens copia: Eodem ſpectat compellere *coopertum ſceleribus, & miſeriis, opertum dedecore, contumelia*, &c. (Sicut per fidem dicitur nobis, inquit Arnobius, *Chriſtum induiſtis*, t ita per infidelitatem *induit ſe homo maledictum*, ideſt, diabolum.) Duplex genus veſtimentorum ducet Hieronymus *u* ex Scripturis, nempe ſpiritualium, atque Sanctorum, & peſſimorum. Iſtorum affert, quod hìc extat exemplum, paulloque poſt, *Fiat ei ſicut veſtimentum, quo operitur*. Prætérea ſordidas veſtes, quibus Zacharias *x* vidit Jeſum Sacerdotem indutum. Ait adhuc *a*, Deum in eos animadvertere, qui *induti ſunt veſte peregrina* b, & aliena, qui receſſerunt à protectione, & indumento Dei, & ſuo errore cooperti ſunt; qui abjecta veſte Regis, & Principum, qui eſt Chriſtus, quem induunt baptizati, & veſte novi hominis cœleſtis, repetunt indumentum veteris hominis cum operibus ſuis, & pro virtutibus vitia induunt, pro Chriſto antichriſtum; denique de iſtiuſmodi homine dici, quod *indutus eſt maledictione ſicut veſtimento*. Ceterum præter ambitum veſtimenti, qui amplam quamdam innuit malitiam, atque maledictionem, poteſt attendi, ut ſubnotat Auguſtinus, inſignis quædam nota, qua veluti quis non modo dignoſcatur, ſed glorietur etiam. Nam veſtimento utuntur homines & ad ornatum, & ut diſcernantur inter ſe. Adhæſionem quoque importat ſimilitudo, & inſeparabilem quamdam conjunctionem. Obſervat Hugo ſimile veſtimento peccatum eſſe, quia veluti munit, ideſt, impedit, ne Deus ad peccatorem accedat, & arcet frigus timoris divini: ornat vero quantum ad opinionem eorum, qui ſunt ſimiles. Ait præterea, texi filis peccatorum, & variari per varios modos, qui excogitantur: vocari à Juda c *carnalem maculatam tunicam*; & ab Eſaia d *veſtimentum mixtum ſanguine*. Adde tunicam *e* qua ubi ſe ſemel ſponſa ſpoliavit, negat iterum indui velle. Recte *corpus peccati* vocavit Apoſtolus, f *& corpus mortis* g, in quo ſi anima ſubjaceat mortali peccato, turpiſſima veſte tegitur. Plura tropologicè philoſophari circa *veſtimentum peccati, & maledictionis* potes per antitheſim ad contrarium virtutis, gratiæque & gloriæ. Spoliatus homo innocentiæ veſte, cum nuditate externa, & interna, *induit maledictionem* inflictam à Deo, & adjecit poſtea quiſque majorem peſſimorum morum.

c Pſ. 34. 26
d pſal. 103. 1
e pſal. 104. 1
f Baruch. 5. 1
g hic infra, verſ. 29
h Pſal. 131. 9
i verſ. 16
k Prov. 31. 25
l Eſa 61. 10 Job. 29. 14
m Job. 7. 5
n Eccl. 13. 1
o Ezech. 7. 27
p cap. 26. 16
q Eccl. 6. 31 Baruch. 5. 1
r cap. 4. 26
* Horat. 3 carm. Ode 29
ſ Pſalm. 72. 6.
t Galat. 3. 27
Veſtimentorum duplex genus.
u lib. 13. in Ezech. & in Eccleſiaſt. cap. 11
x cap. 3. 3

a in Sophon. cap. 1
b Sopho. 1. 8
Peccatum veſtimento ſimile.
c in epiſt. verſ. 13
d cap. 9. 5
e Cant. 5. 3
f Rom. 6. 6
g Rom. 7. 24

Et intravit ſicut aqua in interiora ejus.) Hieronymus, *viſcera*. Chaldaicè, *in corpus*. Non ſolum de eo qui ſubmergitur aquis, ſed fortaſſis potius, de illo qui bibit aquam, ducitur comparatio: in cujus penetralia ventris penetrat. *Bibentes ſicut aquam iniquitatem* h; *& ſubſannationem* i, meritò ſicut aqua penetrat maledictio: ideſt, avide, cum voluptate, facilitate, atque copioſe peccantes, immo & gratis ac ſine etiam emolumento voluptatis, quemadmodum aqua parabilis eſt, ſed ſine ſapore. *Sicut ciſterna frigidam aquam; ſic frigidam fecit malitiam ſuam* k qua nimirum calor extinguitur vitalis, & charitatis, *quam in aliis* quoque *refrigeſcere* facit *l*, qui hoc pacto frigidus eſt *Projectæ malitiæ homo benedicit ſibi in corde ſuo, dicens; pax mihi erit, & ambulabo in pravitate cordis mei, & abſumit ebria ſitientem* m, ideſt, pars inferior trahit ſuperiorem, ut hæc etiam peccati voluptate conſocietur. Adhibetur aqua numquam alioqui à Deo maledicta, ut ei comparatur maledictio, quod ipſi cum non paucis rebus commune eſt, quæ ſerviunt ſimilitudinibus bonorum & malorum. Auctor *n* operis de mirabilibus ſcripturæ propterea ſcribit à Chriſto piſcem guſtatum poſt reſurrectionem *o*, quia maledicto vindictæ aquatilia non ſuccubuerunt, nec in maledictionis participatione fuerunt. Arnobius docet aquam baptiſmi ſanctis intrare ad liberandum, malis ad necandum, quemadmodum oleum primus ad exhilarandum, ſecundus ad tribulandum: *olei* nomine, credo, intelligens, confirmationis Sacramentum.

h Job. 15. 16
i cap. 34. 7
k Jer. 6. 7
l Matt. 24. 12
m Deuter. 29. 19
n lib. 1. cap. 4. apud Aug. tom. 3.
o Luc. 24. 42
Aquatilia vindictæ maledicto non ſuccubuiſſe quorundam opinio.

Et ſicut oleum in oſſibus ejus.) Chaldaicè, *in membra*, Apollinar. aquam ſiti, oleum ſaginæ attribuit hoc modo.

ἀρὴν ὀλομένην ἐνέλην ἐνεδύσατο πέπλῳ
οἷα δεδιψῶντι ἐπήλθεν ἔγκασιν ὕδωρ
ὀστέα πιαίνουσα βαθεῖ χρέος νυν ἔλαιον
Maledictionem pernicioſam ſimilem induit pallio:
Tamquam vero ſitienti advenit viſceribus (ejus) *aqua*
Oſſa ſaginans opportune (utiliter *ſicut oleum*.
(nempe ſolet utile ad impinguandum eſſe.

Euthymius in *aqua* quidem conſiderat vehementiam quamdam maledictionis tamquam impetu irruentis; per *oleum* ſignificari vult duratione, quaſi difficile elui queat, Nicephorus appellat aquæ σφοδρότητα, & olei μονιμότητα καὶ τὸ δυσέκνιπτον. Idem prius docuerant Baſilius, Theodoretus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, & plerique Latinorum ſpectant delectationem in malefaciendo, qua nequit maledictio major eſſe. Id *oleum* vocari poteſt *peccatoris, quo ſe impinguat* p, & alios ita ut *prodeat ex adipe iniquitas* q, *& cervice pingui armati ſint* r. Notat Hugo lentorem, & blanditiam fluentis, ad olei ſimilitudinem, peccati, quod ſenſim illabitur, & quo veluti inuncti, tamquam pugiles diaboli, capi, tenerique ſe non ſinant à Domino, vel à corrigente quocumque. Vis penetrandi potiſſimum hic intendi videtur, quam eſſe tantam Ariſtoteles ſ etiam teſtatur ut oſſa ipſa pervadat. Non eſt hoc laurinum oleum, medicum, & ſalutare, atque *lætitiæ* t, ſed peſtiferum, *ingrediens blande, ſed in noviſſimo mordens, ac venenum diffundens* u. *Non eſt pax oſſibus* ab hujuſmodi oleo, *& à facie peccatorum noſtrorum* x. Dixeris hecticam in oſſibus hærentem febrium eſſe. De oleo ex ſcripturæ uſu rem bonam, vel malam ſignificante Berchorius agit. Valet enim ad exhilarandum, condiendum, illuminandum, maturandum. Deſignat ſua levitate ſuperbiam, lenitate luxuriam, & adulationem, pinguedine mundanam proſperitatem. Hæc ille fuſius, & nos aliis locis attigimus.

p pſal. 146. 5
q pſal. 72. 7
r Job. 15. 26
ſ ſect. 31 prob. in 22
t Pſal. 44. 8
u Prov. 23. 32
x pſal. 37. 4

Verſ. 19.) Fiat ei ſicut veſtimentum, quo operitur, & ſicut zona, qua ſemper præcingitur.

Senſus loci.

QUę poſita primo loco eſt veſtimenti ſimilitudo paullo amplior, ad illud magis hìc reſtringitur, quod hæret corpori diutius & firmius. Hujuſcemodi eſt operiens nuditatem veſtis, quæ idcirco non abjicitur, & zona, cingulumque, quod nobis adſtringitur. Firmus porro, planeque inſolubilis divini decreti nodus eſt, & maledictionis, qua Judam & Judæos alligavit, obſtrinxitque. Aut veſtimentum operiens laxius eſt, ut pallium, inſinuans ut Auguſtino placet, gloriantem in conſpectu hominum de iniquitate, ut zonæ præcinctio, quando quis malum non repentinum, ſed diſpoſitum aggreditur: ita diſcens illud, ut ſemper paratus ſit; quoniam homo ut ad operandum ſit paratior, aptiorque, præcingitur, ne veſtis finibus præpediatur. In contrario ſenſu Chriſtus juſſit *percingi lumbos* y; & ipſemet promiſit fore, ut *præcinctus tranſeat, miniſtretque diſcumbentibus* in regno ſuo z.

y Luc. 12. 35
z ibid. verſ. 37

Fiat ei ſicut veſtimentum quo operitur.) Hieronymus, *ſit ei quaſi pallium, quo circumdatur*. Videtur quoque Auguſtinus hìc de pallio interpretari; in verſu præcedente de tunica, quæ ſtrictior eſt. Utrobique eſt ἱμάτιον. Priore loco מד *mad veſtem* ſignificat *corpori*, ut ita dicam, *commenſuratam*, à מדד *madad commenſurare*? unde Hiſpanicum *medir*; ſoletque reddi per nomen *tunica*. Hoc loco בגר *begbed* pro qualibet veſte ſumitur prę ſertim laxiores, & generalius adhuc nomen eſt לבוש *leuus*. Apollinarius antea πέπλον nunc uſurpat εἷμα. Denique confuſe, ac ſynonyme nomina hæc omnia ſumi poſſunt.

Et ſicut zona, quæ ſemper præcigitur.) Trito ſermone dicitur *quis cingi odiis, periculis*, &c. Vertit Chriſtus *in zona* prædicationis *pecuniam* a: in ea enim veteres illam geſtaſſe conſtat *b*. Unde parœmia caſtrenſis, *zonam perdidit* c, de illo qui nihil habet nummorum. Timuit Evangelico prædicatori Chriſtus, ſi onuſtam pecunia geſtaret zonam, zonæ morbum, quem Græci ἕρπητα quoque nominant, & ζωστῆρα, Latini etiam *ignem ſacrum*, qui medium hominem quodammodo cingit, & complectitur, & ſi totum cinxerit, occidit *d*. Militis inſigne ſemper fuit cingulum, & exauctoratio, cinguli privatio. *Militans Deo*, non debet *implicare ſe ſecularibus negotiis* e, ideoque nec in cingulo æs portare, ſed *gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei* f, *& præcinctis, ac ſuccinctis* incedere *mentis ſuæ lumbis* g, ne *impleantur illuſionbus* h. *Quis credit ei qui non habet nidum, & deflectens ubicumque obſcuraverit, quaſi ſuccinctus latro exiliens de civitate, in civitatem* i? ut qui nidum non habet, ideſt, fixam domum, uxoremque quoniam his abdicavit ſeſe propter Deum, & peragat diverſa loca, ut ſuccinctus latro direpturus de diaboli manibus animas, fidelis ſervus eſt & prudens, cui fidit Dominus, non diabolus, & cui qui Dominum amant, fidere poſſunt, tamquam ſemper parato ad benefaciendum. Judas in zona loculos portans, quos furabatur, veluti zona laqueo ſe ſuſpendit. Huc alludi putant Græci, ut Agellius neminem nominans, monet, quod Bruno Carthuſianus exprimit. Ipſam Chriſti mortem Haimo zonam vocat, quam Judæi nimirum illi intulerint, ut eſſent expediti & impedimento liberi, quod ſibi ab ipſo habere videbantur; ſed iis poſtea fuerit zona, quoniam propterea meruerunt tamquam præcincti ſemper ac parati, & prompti eſſe ad omnes opus malum faciendum.

Veteres in zona pecuniam geſtabant.
a Matth. 10. 9
b Gell. l. 15 cap. 12
Zona morbus ſive ignis ſacer.
c Plautus in Pænulo Hor. lib. 2. epiſt. 2 ubi Lambinus Torrentius Acron Porphyrion, & auctor adag.
Cingulum militis inſigne.
d Scribonius Largus cap. 62. Plin. ſecun. lib. 3. de medicina Horranus.
e 2. Tim 2. 4
f Epheſ. 6. 17
g Luc. 12. 35 1. Petr. 1. 13
h Pſal. 37. 8
i Eccl. 36 ult.